



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 10. Continuata Guilielmi Postelli historia, ejusque obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. X.

Sæcul. XVI.
A.C. 1581.*Continuata Guilielmi Postelli historia,
ejusque obitus.*

Interea Guilielmus Postellus, quem de Jesuitarum Societate expulsus jam supra memoravimus, aliquamdiu adhuc Romæ agebat, ibidemque continuo suis deliriis passim evulgandis intentus carceri dabatur, in quo per plures annos detentus, tandem vero inde fuga, qua tamen ope ignoratur, elapsus Venetias contendit, ubi, prout referunt nonnulli, a quadam vetula infatuatus in enormes errores ejusdem opera prolapsus est, quapropter novum negotium in hac etiam urbe sibi faciens plurimum hæresum postulabatur, ut tamen sese purgaret, ultroneo carceri sese obtulit, cumque Inquisitores post maturum examen ipsum nonnisi deliriis corruptum deprehenderent, eum ab hæresis crimine immunem declarabant, & tanquam fatuum hominem dimittebant: itaque Genevam secedens, inde Basileam, ac denique Dividiodunum petiit, ubi mathematicas disciplinas tradebat. Postea anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio Lutetiam Parisiorum reversus ob fanaticas suas delirationes novis vexationibus exponebatur, in Germaniam

Vid. Lib.

CXLIII.

§. XL.

Spoud. hoc

ann. n. 15.

B 3

auffu-

Sæcul XVI
A.C. 1581.

auffugere compulsus, ubi in Ferdinandi Cæsaris aula tamdiu morabatur, donec omnibus erroribus suis palam retractatis in Franciam ab ipso Rege revocaretur, ac denuo Regii Professoris munus, quod jam antea obibat, recuperaret, ubi etiam Mathesin, linguasque Orientales tradebat: pluribus autem ante obitum annis Parisiis in Monasterium sancti Martini de Campis fecesserat, in quo tamen ipsum omnino invitum fuisse inclusum haud satis constat, imo potius oppositum magis vero simile videtur: in hoc autem asce- terio adhucdum morabatur, cum Catharina Medicæa ipsum nominaret, ut Herculem Franciscum ejus Filium literis imbueret: verum Postellus suam solitudinem pluris habebat, quam honorem, quem ex hujus Principis institutione aucupari posset; in suo tamen recessu elucubrandis pluribus operibus insudans, ibidem die sexta Septembris anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo primo obiit, postquam ætatis suæ annum septuagesimum primum, quinque menses, & duodecim dies adimpleverat, prout ex testamenti ejus tabulis patescit.

Ceterum haud diffitemur, Postellum doctissimis sui ævi Viris esse accensendum; nam id aliunde etiam ejus opera

opera, laudesque, quibus ab omnibus Sæcul. XVI.
 eruditis celebratur, testatum reddunt, A.C. 1581.
 præcipue tamen linguarum peritia, Phi-
 losophiæ, Cosmographiæ, & Mathe-
 seos eruditione inclarescebat, ac ipse-
 met Franciscus I. doctorum fautor, nec-
 non Navarræ Regina fœmina satis eru-
 dita Postellum, velut Mundi miracu-
 lum, deprædicabant, pluresque Proce-
 res, atque inter alios Turnonius, Lo-
 tharingius, & Armeniacus Cardinales
 ejus colloquio frui gaudebant, a cete-
 ris quoque doctis plurimi habitus, pa-
 riterque de eo passim dicebatur, quod
 ex ore ejus quot verba, tot oracula,
 profluerent; verum quamvis ob suam
 scientiam dilaudari mereatur, nihilo-
 minus propter opinionum suarum teme-
 ritatem acres censuras, ac Theologo-
 rum crises sibi accersebat, cum etiam
 a pluribus de Atheismi, & Deismi cri-
 mine postularetur: hi tamen ejus scri-
 pta haud pervolvisse videntur; nullum
 enim ex illis reperire est, in quo hic
 Author Divinitatem velut rem certam
 non supponit, insuper libros sacros di-
 vinitus inspiratos fuisse, disertis ver-
 bis asserit: jam vero præcipuos recen-
 sebimus errores, in quos reipsa Postel-
 lus prolapsus creditur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1581.

I. Ex ratione, & per Philosophiam omnia Christianæ Religionis dogmata, imo ipsa etiam Sanctissimæ Triadis, atque Incarnationis mysteria comprobare aggrediebatur; cum enim nativam intellectus sui vim omnium ceterorum hominum rationibus longe prævalere crederet, sibi quoque persuasum habebat, quod ejusdem rationis ope omnes totius orbis Nationes ad Christi fidem perducere posset. II. Propugnabat, quod humana Christi Domini anima unacum Verbo æterno ante mundi creationem fuerit creata, atque unita. III. Sibi imaginabatur, quod cuncta, quæ in natura habentur, in cælis, & quidem hæbraicis literis per ipsam astrorum dispositionem efformatis scripta reperiantur. IV. Fingebat, quod mundus nonnisi sex annorum millibus duraturus esset, illius vero excidium præcederet omnium rerum restauratio, per quam cunctæ res ad eundem revocarentur statum, quem ante primi hominis lapsum habuissent. Ceterum non semper Postellus ejusmodi opiniones fovebat, quippe tam vehemens imaginandi vis, rerumque multitudo ejus ingenium obruens, necnon confusio, quæ sæpe in ejusdem cogitationibus dominabatur, tantum efficiebant, ut diverso tempore
fen-

sententias sibi invicem omnino repug-
nantes propugnaret. Hic idem ab ini-
tio quidem Protestantibus accerrime in-
fensus videbatur, atque in suis libris
illos ultra modum infectabatur, post-
quam vero ex omnibus totius orbis Re-
ligionibus nonnisi unicam conflare, ani-
mo constituerat, paulo modestius lo-
quebatur, atque hæreses tolerandi ne-
cessitatem spretis omnibus æquitatis
limitibus usque adeo extollebat, ut opi-
niones maxime horrendas ad sanum
sensum contorquere aggrediretur, qui-
nimo propugnare non vereretur, quod
Mahometes, æque ac Saul, veris Prophe-
tis accensendus esset, eo quod ambo quan-
doque verum pronuntiasent. Ceterum
ejus agendi ratio semper prudentiæ, ac
compositæ vitæ regulis admodum con-
sona passim deprædicatur, & quamvis
librum de Joanna Matre prorsus sin-
gularem, atque ex cunctis ejus operi-
bus maxime desideratum scripserit, cui
titulum præfixit, *de mirabilissimis victo-
riis fæminarum novi orbis*, hic tamen li-
ber nil aliud est, quam luxuriantis in-
genii sui partus, nec non ostentatio suo-
rum deliriorum, quibus suam fingendi
fœcunditatem prodidit, nullatenus ta-
men exinde comprobatur, quod ejus
animus perversitate corruptus fuerit,
nec etiam valido testimonio probari

Sæcul XVI.

A.C. 1581.

Sæcul. XVI. valent illæ infamiæ, quibus tamen a
A.C. 1581. nonnullis notatur. (*)

§. XI.

Analysis libri: de orbis terræ concordia, a Postello editi.

Postellus in suis libris *de concordia orbis terræ*, eo collimare videtur, ut omnes totius Orbis populos ad Christianam Religionem revocet, quem in finem opus suum in quatuor partiebatur libros, in quorum primo præfatæ Religionis veritatem primitius rationibus Philosophicis comprobare nititur, & de Dei, ac sanctissimæ Triadis perfectionibus, necnon de creatione Mundi, de morte Christi Domini, ejusque Divinitate, sacri Evangelii auctoritate, ac præcipue de immortalitate animæ differit

(*) Haud satis mirari possumus, quod Continuator noster hunc Virum tam amplis elogiis deprædicare, atque ejusdem scelera, ac deliria tam sedulo excusare voluerit, cum tamen passim omnes Scriptores etiam Protestantes, uti Basileenses Collectores in suo Lexico, & Scriptor des gelehrten compendiosen Lexicon, pluresque alii ipsum tanquam Virum depingant, quo magis fanaticum, Religionis contemptorem, ac impium nugatorem Gallia non tulit.